

1678.

1. Godeschalvus, Joh: De concilio Ephesino
2. Leiser, Wilhelm: De responsis prudentium
3. Leiser, Wilhelm: De fide si velis
4. Leiser, Wilhelm: De praemiis.
5. Lenz, Ludovicus: De beneficio ordinis.
6. Martini, Werner Theod: De auctoritate voluntaria
7. Nerger, Joachin: De specie obligationis inaequa-
lis, quae dicitur claudicans.
8. Roehrensen, Christianus: Fragmentum communionis
rerum primaevae, Discursus publicus academice re-
futatus.
9. Schleierstein, Gotfr. Nic.: De venditione invita.
10. Schleierstein, Gotfr. Nic.: De dominis dormiente.
2 Exempl.
11. Schoerling, Erast. Theoph: De Graecae linguae pro-
nunciatione ejusdemq. variis dialectis.
12. Schurzfleischer, Cor. Jan.: Civibus academicis
historiam civilem audituris operam studii unquam
policetur.
13. Strubergius, Baeth: De ot. Χρηστέριον veterum

14. Straus, Godofr.: De juramento litis decisiua
 15^{anb.} = Straussius, Godofr.: De successione hereditaria,
 generatae, aliarumque rerum nobilium. 2. Exempl.
 16. Straus, Godofredus: De revocatione delinquentium
 et modo procedendi contra eosdem.
 17. Wulfius, Johannes: Fortalitionum obsessorum
 defensionem . . . publico eruditorum examini
 exponit. 2. Exempl.
 18. Ziegler, Karpar: De jure litem denunciandi.
 19. Ziegler, Karpar: De obligationibus in genere.
 20. Ziegler, Karpar: De jure victualium.

1679.

1. Mucker, Fridor. Christ: Peregrinatio D. Pauli
 Transmarina, Geographice descripta
2. Kirchmaier, Georg Kerp: De obsidione Hierosa
 lymitana, ex 5 hist. Cl. Taciti.
3. Kirchmaier, Georg Kerp: Pontius Pilatus, proceres.

4. Leiden, Wilhelm : De oculari inspectione.
- 5^{a. b.} = Müller, Antonius : De Compositione praes.
2 Saenbl
6. Auenstett, Joh. Andr. : De spontis sancto effusione.
7. Auenstett, Joh. Andr. : De fructu verbi divini, fide
et auditu per verbum dei.
8. Schwefelschius, Km. Samuel : Thematia, quibus primi
Christianorum Imperatoris antiquitates illustra-
tur.
9. Schwartz, Gregorius : Crimen laesae majestatis
10. Straussius, Godefr. : De militia togata et ejus
vinculis cum sagata.
11. Ferber, Georgius : De logae IX.
12. Ziegler, Karpus : De visitationis ecclesiarum
et procuratoris jure.
13. Ziegler, Karpus : De commendato.
14. Ziegler, Karpus : De mutuo.
15. Ziegler, Karpus : De affectu magistratus ex l. 19
P. de off. praes.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



7570

XXXVI.
No 215.

1678

4

Auspice Trinuno!

DISSERTATIO JURIDICA

De

PRÆMIIS,

Quam

CONSENSU MAGNIFICI JCTORUM WITTEBERGEN-
SIUM COLLEGII
SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI & EXCELLENTISSIMI

DN. WILHELMI
LEISERI,

Jcti & Antecessoris in hac Academia famigeratissimi, Curia Ele-
ctoris, Scabinatus & Facultatis Juridicae Assessoris
Gravissimi

*Domini Patroni sui etatem venerando,
publico Examine subicit*

NICOLAUS SCHWECHTENIUS,
Görz. Sax.

Ad diem 13. Febr. An. 1678.

IN ACROATERIO JCTORUM.



WITTEBERGÆ,
Literis JOHANNIS WILCKII.



OFFICE TYPANO
DISSERTATIO JURIDICA

PRÆMIIS

CONSENSU MAGNIFICI RECTORUM & PATEREN-
SIUM COLLEGI
SUB PÆRESIDIO

VIRI

WOLFGANGI, ORATORII & CÆCILIUS

DR. WILHELMI

LEISERI,

PROFESSORIS IN HÆC ACADEMIA JURISPRUDENTIÆ, CURIAE PÆ-
CENÆ, SEPTENTRIONIS & FACULTATIS JURIS PÆCENÆ
ORDINARI

DOMINI PÆCENÆ FACULTATIS JURIS PÆCENÆ
PUBLICE EXAMINIS PÆCENÆ

NICOLAUS SCHWERTHEIM

GOËZ SAX.

ADDITUM FEB. AN. 1678.

IN ACADEMIA PÆCENÆ

WITTEBERGÆ

LICETIS JOHANNIS WILCKII
WITTEBERGÆ





PRÆLOQVIUM.

Bonos Cives non solum metu pœnarum, sed etiam præmiorum exhortatione esse efficiendos, Ulpianus, Jurisconsultorum ille Coryphæus, in l. i. ff. de J. C. 7. autor est, & Solon, qui ex septem Sapientibus solus fuit Legum scriptor, Rempublicam duobus contineri dixit: præmio & pœnâ. Cic. ad Brut. Epist. 12.

Quamvis enim

Si mercede caret, perseçq; petenda est.

Externis Virtus incomitata bonis. quippe

Quæ sibi sufficiens semper pulcherrima merces;

Attamen, cum tanta hominum naturæ sit imbecillitas, ut, nisi præmiorum gustu dulcissimo ad easdem inescantur & inventur, tantum absit, ut Virtutes colant, easq; sectentur; ut potius eas posthabeant, usq; adeò, ut ardor ad illarum cultum aspirandi planè frigescat. Hinc teste Cic. 1. Offic. vix invenitur, qui laboribus susceptis periculisq; aditis non quasi mercedem rerum gestarum desiderit gloriam. Et Poëta:

Ipsè decor recti facti si præmia desint,

Non movet, & gratis pœnitet esse probum.

Ideoq; in omibus benè constitutis rebus publ. cautum & provisum est, ut benè metitis & rectè facientibus præmia exhibeantur, idq; non immeritò, cum juxta l. sed etsi 25. S. consult. ff. de hered. petit. intersit hominis, hominem beneficio adfici, & cum nihil sit æquius, quàm si præmia rectè factis; Contrà malefactis pœnæ tribuantur suæ, quippe quod finis Legum sit, Vitia emendare & commendare Virtutes. Cic. lib. 1. de LL.

Præmiis enim deficientibus, deficit etiam studium Virtutis,
à quo salus publica dependet.

Quis enim Virtutem amplectitur ipsam?

Premia si tollas. Juvenal. Sat. 10.

Et sicuti reipubl. plurimum interest, ne delicta maneant impunita, *l. ita Vulneratus 51. ff. ad leg. Aquil.* Sic & non minimum in hoc est situm momenti & emolumenti, ne benè meritis & pro bono communi laborantibus molestiarum remuneratio denegetur, *l. 1. §. 1. ff. de J. & J. l. fin. C. de stat. & imag.* Adeoq; misera & infelix est Resp. putanda, in quâ nullâ præmia persolvuntur, malefactis verò nullæ poenæ: E contra si hæc benè observentur, optimè se habet talismodi Resp. Id quod tam divina, quàm humana exposcit Justitia, Et Comicus ait *in Capt.* Est profectò DEUS, qui quæ nos gerimus, audit, videtq; & benè merenti profuerit, malè merenti par erit. DEUS enim secundum opera unicuiq; tribuit, quem bonos Principes & quemlibet Magistratum imitari oportet. Hinc Æschinus non minus scitè quàm verè dixit, apud Stobæum *Serm. 41.* Si præmia ac munera paucis & dignis, & ex Legum præscripto dederitis, multos pro Virtute certantes habebitis: Sin volenti cuilibet, ac ambitiosè contendenti, bona etiam ingenia corrumpetis. Ea propter præmiorum ac poenarum magna ratio est habenda, utpote quæ resp. ut diximus, contineant. Huic pereleganti per totum Juris nostri Oceanum diffusæ & à paucis hæctenus, quantum ego memini continua serie pertractatæ materiæ, tanquam salutifero ad conservandam bonâ reipubl. remedio, si aliquid operæ strictim & breviter, quantum inopina temporis angustia & ingeniolum hocce permittet, insumerem, haud inutile fore arbitratus sum, pro Pomo Eridis eam ponendo, publico Eruditorum Examine subjecturus. Pro feliciori autem expeditione supremum Numen exoro devotissimus, tunc enim, teste Imperatore *Nov. 6. pr.* benè universa geruntur, si rei initium fiat decens & amabile DEO.

MEMBRUM I.

De Definitione

§. I. Cùm omnis, secundum *Cic. 2. off.* quæ à ratione
sus.

suscipitur de aliquâ re institutio, debeat à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disceptetur, Nostrum quoq; erit, ut definitionem paucissimis saltem præmittamus. Est autem Præmium beneficium benè merenti in Rep. tributum. Vel: Est opus beneficentiæ, quæ Virtus benè merenti suum tribuit beneficium moderamine justitiæ & prudentiæ, *Bornit. in tr. de præm. Lib. 1. cap. 2.*

§. II. Rectè diximus Moderaminè Justitiæ & prudentiæ. Sunt namq; præmia justè conferenda ductu prudentiæ, quæ omnium Virtutum moderatrix, & quidem prudenter pensitando Causas, personas, modum, tempus, locum, quantitatem, qualitatem, cæterasq; circumstantias. Sicuti enim modus in omnibus rebus; ita præsertim in decernendis præmiis maximoperè est observandus, Siquidem prudentis Principis est honores benè meritis largiri, contra imprudentis est, nullum præmiorum modum habere. Hisce itaq; consideratis modus erit adhibendus, ut præmia rectè distribuantur. Paria enim beneficia, honores, dignitates & privilegia Nobili & plebejo promiscuè tribuere, summa foret injustitia.

MEMBRUM II.

De Divisione præmiorum.

§. I. Duo tantum summa genera præmiorum constitimus nempe Honestatis & utilitatis, Et dividimus Præmia in *Honesta & utilia*, quorum alterutrum benè merenti datur, vel interdum utrumq;.

§. II. Ad præmia Honesta referuntur Præmia Gratia, & Honoris. De singulis singulariter breviter. Præmium gratiæ seu gratiosum est, quod gratis & singulari faventiâ & amore Principis aut Magistratus alicui conceditur, quale Exemplum habemus in Davide, qui favore prosecutus est singulari Barfillaum. *2. Sam. 19.* & ejus heredes *1. Reg. 2.* Huc quadrant Verba, quæ Imp. Fridericus in *auth. Habita. C. ne fil.*

ne fil. pro patr. eleganti sermone exprimit, cum inquit:
Dignum existimamus, ut omnes bona facientes nostram
laudem & protectionem omnino mereantur. Quod & alii
Impp. æquum esse putarunt, uti liquet ex *l. Virtutum. 4.*
pr. C. de stat. & imag. l. studiorum. 1. C. de Assess.

§. III. Præmium Gratiæ excipit Præmium Honoris,
quod est, quando quis ob Virtutis meritum (: uti ab Aristo-
tele merito Honos appellatur :) aliis præponitur & honora-
tur. Virtutis enim uberrimum alimentum est Honor, & sem-
per ea habet secum Comitum Honorem, veluti corpus um-
bram, quæquam ipsa sibi sufficiens & suâ eminentiâ contenta
existimetur boni alieni haud indiga. Quod si tamen repen-
satio fieri debeat, illam non nisi æquivalente præmio fieri
necesse est, quod est honor, quo nihil præstantius, & quo ho-
mines ita afficiuntur, & alliciuntur, ut quæq; extrema pericula
subeant. *Cic. 1. off. & qui cunctis præfertur rebus, arg. l. Julian. ff.*
si quis omis. caus. Cui consentit Xenophon: Nulla, inquit,
Voluptas humana propius ad Deorum naturam accedere vi-
detur, quàm honore gaudere. Et eleganter hæc de re *Cic. in*
Orat. pro Calio; Ego, inquit, si quis hoc robore animi atq; hæc
Virtutis indole ac continentia fuerit, ut respuerit omnes vo-
luptates, omnemq; suæ vitæ cursum in labore corporis atq; a-
nimæ contentione perfecit, quem non quies, non remissio,
non æqualium studia, non ludi, non convivia delectarint,
nihil in Vita expetendum putarit, nisi quod esset cum laude,
honore & dignitate conjunctum, hunc meâ sententiâ divinis
quibusdam donis instructum atq; ornatum puto.

§. IV. Sub hoc præmio continetur etiam Nobilitas,
quæ est Dignitas sive honos Civilis, quo quis ob singularem &
excellentiorem Virtutem in Rempubl. collatam autoritate
Principis (: qui culmen omnium dignitatum est, *l. 1. l. nemo præ-*
fectus in fin. C. de dignit. :) nobilior & illustrior aliis in rep.
constituitur. Estq; hæc duplex: Togata & Militaris, & con-
sequitur quis nobilitatem Arte & Marte, juxta illud:

Hæc

*Hæc duo faciunt, ut quis sit Nobilis: Ars, Mars;
Major ab Arte venit gloria; Marte minor.*

§. V. Nobilitatem ex Arte adipiscitur quis, si in actionibus Justitiæ, prudentiæ Politicæ aliisque eruditionis generibus præ cæteris elucet; quippe eundem finem togati himilites, i.e. Magistrato & Jcti habent literis, quem alii armis, Salutem nempe publicam. Illâ, Militari nempe, Nobilitate dignus efficitur quis, si Virtutis bellicæ pro defensione patriæ egregia ediderit Specimina. Nec hîc attendenda antiqva & longa generis successio, sed Virtus. Hæc enim, juxta *Juvenal. sat. 8.* unica & sola est Nobilitas.

*Tota licet Veteres exornent undiq³ cera
Atria.*

Cui calculum adjicit Cicero, satius, inqviens, me meis rebus gestis florere, quàm majorum opinione niti, & ita vivere, ut sim posteris meis Nobilitatis initium & Virtutis Exemplum. Sed plura hæc de re inferius attingam. Sit itaq; hîc demonstratum, quænam ad præmia honesta pertineant. Sequuntur nunc

§. VI. *Premia utilia.* Hæc sunt, quæ conferunt comoda & emolumenta quædam, puta, Privilegia & immunitates, Libertatem, Civitatem, dona &c: Eò enim impenditur omnis labor, unde honos & emolumentum speratur. Et quis est, qui utilitatem fugiat, aut quis potius, qui eam non studiosissimè persequatur? *Cic. 2. de Orat.*

§. VII. Subdividi possunt hæc præmia in personalia & realia, *l. ait prator. 1. §. 5. datur. 43. ff. de aqv. cottid. 5. estiv. 1. privilegia 196. ff. de R. 7.* Realia definiuntur quod sint quæ directè alicui rei vel causæ conceduntur & ad heredes transeunt. *Günzel in Comment. ad l. 68. ff. de R. 7. v.g. Civitati, Ecclesiæ, item Xenodochiis, ubi pauperes recipiuntur, de quibus in c. de Xenodoch. 3. X. de religios. dom. Orphanotrophiis, in l. omnia privilegia 35. C. de Episc. & Cler. Ptochotrophiis, ubi pauperes aluntur l. omnes. 33. §. privilegiis 7. l. si quis ad declinandum 49. §. sin autem 5. C. de Episc. & Cler. Nosocomiis, ubi ægroti pauperes à morbo curantur. l. illud 19. §. 1. C. de SS. Eccles. Gerontocomiis, ubi Senes & Valetudinarii sustentantur, de quibus*

bus in *l. illud. 19. §. l. sancimus. 22. C. de SS. Eccles.* Sic Civitas
quædam, ut unico saltem rem illustremus Exemplo, in Mar-
chiâ Brandenb: Brizena vel Brizia dicta ante aliquot secula
propter insignem, quam Marchioni & Electori suo Ludovico
tempore belli præstitit fidem, sic fuit dignata, ut inter a-
lia privilegia Fida fuerit appellata, quâ dulcissimâ nomina-
tione unâ cum Vectigalium immunitate etiamnum fruatur,
uti videre est in Archivo dictæ Civitatis, & Mærc. Chronicle,
id quod & innuit Distichon hocce Curia ibidem inscriptum:

*Hæc urbs hoc meruit, quod Brizia fida vocetur,
Principibus belli tempore fida fuit.*

§. VIII Personalia dicuntur illa, quorum causa proxi-
ma est persona, & quæ immediatè in personam impetrantis
feruntur & quæ ad heredes non transeunt, sed cum personâ
extingvuntur. *l. 196. ff. de R. J. l. 13. C. de excus. mun.* Ita beneficium
prælationis, quo mulier præfertur in actione dotis cæteris cre-
ditoribus, non solet ad heredes mulieris transferri, *l. un. C. de
privil. dot.* Eodem modo Privilegium pupillo indultum in
bonis tutoris personalissimum est, ideoque ad ejus heredes non
transit. *l. ex pluribus. 42. ff. de admin. tut.* quod de tacitâ hypo-
theca exaudit. *Carpz. in Jurispr. for. p. 2. Const. 24. def. 12 n. 9.*
Günzel ad l. 68. ff. de R. J. Limitandum tamen hic venit, quando
privilegium non solius personæ favore est introductum, sed
ultra personam aliud in considerationem venit, uti exem-
plum potest esse Beneficium Restitutionis in integrum, quod
minori non simpliciter, sed quatenus læsus est, conceditur,
unde non solum minoribus, sed etiam successoribus minorum
datur, etsi sint ipsi majores. *l. minor. 18. ff. de minor.* Ita etiam
Privilegium studiosorum extenditur ad eorum famulos &
nuncios, *Günzel. d. l.* Et hæc de Divisione præmiorum suffici-
ant. Progredimur ad

MEMBRUM III.

De Causâ efficiente

§. I. Causa efficiens seu subjectum concedens est
Princeps.

Princeps. Hic habet Jus & potestatem præmia impertien-
di, i. e. honores & dignitates, nec non immunitates, mu-
nera & privilegia conferendi. Principum regulariter pro-
pria est munificentiam exercere. *l. pen. C. de don.* Princeps
est, qui communicat honorem & dignitatem, uti ex *l. 5. C.
de dignit.* liquet, *ibi*: Si quid Senatoriâ præditis dignitate
fuerit demandandum, nostro id iudicio reservandum est,
fit namq; dignitas, quæ nobis iubentibus sustinetur. Prin-
ceps est vel esse debet æquus laborum Censor & remunera-
tor. Hinc non minus venustè, quàm verè dicitur, Princi-
pis caput esse nidum curarum & Laborum, & diadema ejus
non serico, sed nido suffultum. *Christ: Matthias in syst.
Polit. Exerc. 5. theorem. 1. Lib. 3.* Quare ad curam Princi-
pis pertinet etiam, benè meritos præmiis & honoribus affi-
cere, quia publicè interest, præmia à Principibus conferri
& pœnas irrogari. Facit id namq; ad benevolentiam con-
ciliandam, & fere nemini convenit magis amore sibi devin-
cere Subditos, quàm Principi, à quo salus publica depen-
det. Id quod probè perpendit acerrimus & constantissi-
mus Christianæ fidei defensor, nomen & omen habens Im-
perator Constantinus, qui (cùm exploraturus aulicorum in
fide Christianâ constantiam, simularet se illis potestatem fa-
cere idolis impunè sacrificandi, usq; adeò, ut ni id facerent,
aulâ suâ ipsos exulatuos sit minatus. Multi verò illorum
metu amittendæ dignitatis & honorum, Deum potius de-
serturi, quàm Imperatorem offensuri viderentur, & Hic, pa-
tesacto commento, quod celaverat, illos DEi desertores
graviter objurgatos, tanquam servitio suo indignos aulâ ex-
cedere juberet, additâ hâc voce indignante: Quomodo fi-
dem Imperatori inviolatam servabunt, qui DEc sunt perfidi?) eos, quorum constantiam in fide Christianâ perspex-
erat honoribus, præmiis & beneficiis collatis sibi maxime
devinxit, pluris se eos æstimare dicens, quàm æraria thesau-
ris ingentibus referta. *vid. Chr. Matthias syst. Polit. Lib. 3.
sect. 3. theorem. 1. n. 2.*

B

§. II. Princi-

§. II. Principem habere potestatem præmia & honores decernendi, jam tractavimus. Ast num & ipsi Principes superiorem recognoscentes eandem potestatem habeant, ut honores & dignitates absq; discrimine conferre possint, hinc quaerendum? Nos affirmativam sequi sententiam haud dubitamus, ex hac, quæ firmo talo stare poterit, ratione, quia Principes in suo territorio Jure Imperatoris utuntur, & tantum valent in eo, quantum Imperator in Imperio Romano. Ut itaq; honores dare, immunitates, aliaq; privilegia & præmia concedere queant, exceptis tamen iis, quæ soli Imperatori sunt reservata, puta Ducatum, Marchionatum, Principatum &c.

§. III. Insuper & jus præmia publicè conferendi est penes quemlibet Magistratum & aliū loco principis. Item penes Prætorem, aliosq; *l. & mulier. 15. §. in bonis. 1 ff. de Curat. furios. l. hæc honorum 1. pr. ff. unde cognati.* idem Imperiales Civitates, quæ inter fines & suos districtus quasdam exemptiones civibus aut peregrinis indulgere possunt. *Gail. Lib. 2. obs. 57. n. 7.* quia in suo territorio Jura principis habent, & vicem Principis obtinent. *Reinking. de Regim. sec. & Eccl. Lib. 1. class. 4. c. 20. n. ll. & 12.*

MEMBRUM IV.

De subjecto Recipiente.

§ I. Causâ efficiente perlustratâ aggressus ad subjectum recipiens est faciendus. Non autem cuius promiscuè beneficiorum fores patulæ esse debent, sed merentibus. *l. 4. C. de stab. l. 1. C. pro quib; caus.* Et cui debetur. *Rom. 13.* Omne enim præmium & beneficium Virtutem & laudabiles actiones præsupponit. quâ de causâ olim templum Virtutis & Honoris à Marcello fuit distinctum, ita, ut non aliunde ad ædes Honoris aditus pateret, quàm per templum Virtutis, eò, quod Virtutem sequi debeat Honor, non Honorem Virtus. Ergo qui recte vivunt, beneq; vivendo de rep. bene merentur, digni sunt censendi præmio: nullatenus verò indigni, & qui turpiter vivunt, nec unquam reip. benefacere affectant; quin quod pœnis

nis isti affiendi. *l. bona fides, 31. ff. de pos. l. 37. in fin. de minor*
Largiri enim indignis est scelera confirmare, ex mente Poëtae,
in qvientis:

Beneficia male locata malefacta sunt.

Et *Bodino Lib. 5. c. 4. de Republ.* Honor indignis tributus in
contumeliam abire solet.

§. 2. Quemodmodum autem ex priori fundamento non
solum personis, sed etiam rebus præmia & beneficia conce-
duntur; ita quoque non una causa datur, quæ Principem ad ea
indulgenda movet, sed pro diversis circumstantiis diversæ ex-
istunt causæ, quæ postea operantur, ut diversis personis & re-
bus hoc jus etiam indulgeatur. Sunt autem præprimis merita
tam præterita, quam futura ob quæ præmia decernuntur, &
quidem

§. 3. I. *Consiliariis Principum & Legatis*, quorum itine-
ra & pericula sunt remuneranda. *l. principes. C. de princ. agent.*
in reb. l. 3. l. 4. 5. ff. de mort. caus. l. si non fuerint 29. §. ita coire.
ff. pro socio. l. semper. §. negatior. ff. de Jur. immunit. qui eti-
am in l. quisquis. C. ad Leg. Jul. Maj. Illustres & partes Corpo-
ris Principis vocantur, His ex clementiâ Principis 1.) hoc be-
neficium est concessum, ut intra tempus, quo reip. causâ sunt
occupati, pro contumacibus reputari haud possint, etiam si
præfixo termino in Judicium non veniant. *l. non exiguus. 2. §.*
si quis. 1. ff. si quis caut. in jus sist. 2.) Habent Jus domum revo-
candi. *l. si quis ff. de judic.* ut tempore Legationis vel in loco, ad
quem ablegati, de re ante Legationem contractâ cõveniri haud
possint. *l. consensisse. 2. §. leg 3. ff. de jud. Brunnem. in Comm. ad b. l.*
n. 12. seqq. quod Jus revocandi verò cessat, si ibidem contraxerunt
d. l. 2. §. 4. de jud. Vel si ultra tempus subsistat, *d. §. 4.* Vel: si ibi alios
convenient, tunc enim ibidem reconveniri possunt, etiam du-
rante Legatione, non quidem ab omnibus aliis, sed tantum
ab eo, quem convenerunt. *Barbosa ad b. l. n. 218. sequens* Hæc &
alia beneficia, quæ passim in Jure extant, ad Comites eorum
quoque extenduntur. *l. administrantes, 41. §. eorum. 2. ff. de excus.*
Gail. lib. 2. obs. 68. n. 6.

B 2

§. IV. Cate-

§. 4. Caterum adjungi possent his alii Magistratus Judices senatores & Assessores, qui præmiis publicis digni non injuriâ censentur, nisi animus esset rem breviter expedire. Sufficiat nobis potiora in præsentiarum annotari. Reliqua cui perillustrare volupe est, ad alias Autores remittimus.

§. 5. Hosce sequuntur II. *Professores in Academiis*. Hi enim sunt, quorum scientia illustratur mundus. *auth. habita. C. ne fil. propatr. l. Medicos 6. C. de Prof. & Med.* qui homines ad perfectionem animi & corporis perducunt, quicquid studia & operam suam ad informationem & doctrinam civium in Verâ pietate & probitate, nec non in Artibus & scientiis rerum necessariarum, utiliumque reip. collocant. Hi sunt, qui animos hominum ab inscitâ & barbarie redimunt, à vitiis ad Virtutes reducentes. Ex hac ratione præ cæteris digni sunt, quibus, juxta *Symmach: Lib. 1. Epist. 73.* præmia opulenta pendantur, dum Specimen id esse florentis Reip. ibidem affirmat, ne solum verent. Hinc tritum illud: *Gelehrte Leute und Bienen müssen wohl in achtgenommen werden / daß sie bleiben.* Nam absque illis nec status Ecclesiasticus, nec Politicus, nec alius quispiam consistere potest. vid. *Churff. S. Schulordn. in proœm. Von Schulen in Gemein. pr. ideoque & his præmia & privilegia sunt constituta d. l. s. Derowegen Et sublatis præmiis, Scholæ (quæ sunt seminaria reip.) frigescunt, & ruina reip. sequatur necesse est. Id quod probè intellexit Alexander Magnus, qui Præceptorem suum Regiis remuneravit donis, insolam animalium historiam octingenta talentis ipsi collatis. De Privilegiis hisce ulterius aspicienda est *l. fin. & t. 1. C. de Prof. & Med. l. un. C. de Prof. qui urb. Const. doct.* Sufficiat hinc de istis in genere.*

§. 6. In specie, & quidem III. veniunt *Doctores Theologie* Verbi Divini antistites & sacrarum literarum interpretes, qui Viam salutis annunciant. *Act. 16. v. 17. & 1. Petr. 2.* nominantur genus electum & regale sacerdotium. & proinde quod Deus tanto munere eos dignos fecit, merito & pro suo merito digno sunt habendi honore. Quam admo-

admodum enim in Rep. ante omnia observanda est pietatis & veræ religionis cultura, juxta dictum Jcti: summa ratio est, quæ pro religione facit. l. 43. ff. de rel. & sumt. fun. & Imp. in l. sancimus 21. C. de SS. Eccles. Ita præmia & honores decentes ipsis Doctoribus, per quos docendo conservatur religio, quoque sunt tribuendi. Propterea hoc gaudent beneficio, ut ab omnibus oneribus sint immunes.

§. 7. Sic & de jure Sax. Sacerdotes & Pastores beneficiis & Privilegiis fruuntur, ut non tantum salaria ipsis absque ulla detractioe præberi debeant per General Artickel de anno 1580. Art. 20. ibi: Daß ihnen auf bestimmte Zeit ihre gebührende Besoldung ohn allen Abzug oder Vortheil zu rechter Zeit gegeben werde. sed etiam nullibi, nisi coram Magistratu Ecclesiastico in actionibus personalibus sint conveniendi Churf. S. Kirchenordn. Tit. von Freyheiten der Kirchendiener. §. Anfänglich 10. verb. Daß die Sache durch den Superintendenten gülich verhöret / oder / so diese entstünde an das Consistorium gebracht / und daselbst ohne langen Proceß / summarischer Weise entschieden werden sollte. Et quæ aliæ sub hoc Titulo immunitates continentur, quarum unica hæc adhuc adducenda, quod nimirum beneficium defuncto Ecclesiæ ministro ad ejus heredes ad tempus quoddam extendatur, in tantum, ut per semestre spacium & domicilium & Salarium defuncti percipiant; liberi verò insuper beneficio Stipendii fruuntur. d. tit. von Freyheiten der Kirchendiener. §. und zu fernern Gnaden: ibi: wollen wir der Verstorbenen Pastoren und Kirchendiener Witben und Kindern ein halb Jahr nach ihres Ehwirths und Vatern Absterben in der Pfarre / Predigts. oder Diaconat-Behausung der Sitz / dazu den halben theil seines Jahres Besoldung von Zeit seines Absterbens folgen / darzu ihre Knaben / so sie tüchtig zu den Fürstl. Stipendio auf und annehmen lassen. Ut taceam alia præmia & beneficia Clericis concessa, puta immunitas à collectis, d. 1. & Noviss. Resolut. Gravam. de anno 1661. Tit. von Justit. Sachen. §. 120. v. Nun wissen &c.

§. 8. IV.

s. 8. IV. *Jcti & Advocati* etiam præmiis & privilegiis gaudent, quia præ cæteris de republ. benè merentur. Justitiam namq; colunt, boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo separantes licitum ab illicito discernendo, Et ideò Sacerdotes Justitiæ meritò appellantur in *l. 1. ff. de J. & J.* Hi sunt, qui docent civilem sapientiam, rem sanè sanctissimam & inæstimabilem. *l. preses 1. S. proinde 5. ff. de extraord. cogn.* Laudabilem, *l. 4. C. de Advocat. divers. judicium.* Honoris plenam, *arg. l. 6. C. de postul.* Sunt, de quibus eleganter Imperator in *l. 14. C. de Adv. div. Judicior.* Advocati, inquit, dirimunt ambigua fata causarum, suarq; defensionis Viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm si præliis ac Vulneribus patriam parentesq; salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis & Thoracibus nituntur sed etiam Advocatos. Militant namq; Causarum Patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium Spem Vitam & posteros defendunt. Proinde laudabile vitæq; hominum necessarium Advocationis officium maximè principalibus præmiis oportet remunerari. *l. 4. C. de Adv. div. Judicium.* Quis enim est qui ignorat, eam rerum humanarum esse conditionem, ut rarò quisquam repertus sit, qui privatim vel publicè beneficiis aliquibus præstitis non aliquod sibi præmium deberi existimaverit, quod & rationem habet; Nam æquitati naturali nihil tam conveniens est, quàm ut is, qui fidâ alicujus operâ usus commodum sensit, remuneratione gratiam aliquam rependat. *Jacob Bouricius de off. Adv. c. 44.* Quinimò leges ipsæ expressè hoc statuunt, præprimis verò eleganter & magnificè de Advocatorum patrociniis senserunt Veteres Jcti, & præcipuè Ulpianus in *l. 1. S. in honorar. 10. ff. de extr. cogn.* In honorariis Advocatorum, inquit, ita versari debet Judex, ut pro litis, proq; Advocati facundiâ & fori consuetudine & judicii, in quo erat acturus, æstimationem adhibeat. Quinimò & Divum Severum Imperatorem eò prosecutos fuisse

isse favore Advocatos refert idem Ulp *d. l. 1. §. Divus severus* ut ab heredibus Advocati, quæ totam litem non peregerat, eò nomine mercedem acceptam repeti prohibuerit.

§. 9. Cæterum Jcti tantâ pollent auctoritate, ut Nobilitatis nomen ipsis fuerit attributum, & Nobiles dicantur. *l. excusantur 2. §. amplius. 9. ff. de Excusat. tutor. l. providendum 7. C. de postul. imò Nobilissimi. l. 4. in fin. ff. de excus.* Propterea & eorum privilegiis gaudent, & paribus stipendiis cum iis fruuntur & in aliis pari possu ambulant. *N. A. zu Cöln Anno 1512. §. item sollen Dieselben acht Räte.* in tantum, ut non solum Cathedralibus Ecclesiis æquo Jure ad Canonatum admittantur Nobiles & Doctores, uti experientia rerum efficax magistra, satis superq; commonstrat, sed etiam aliorum honorum sint capaces. Nes res in jure nostro destituta est Exemplis. Notum est ex *l. 2. §. fuit posteos. 37. de O. 7.* Cajum Scipionem Nasicam Jctum, Optimum à senatu fuisse appellatum, ipsiq; publicè domum in sacrâ viâ datum quò faciliù consuli posset. Sic Sempronio & Publio Attilio titulo *ovq;* sunt dignati, *d. l. §. 37. & 38.* Publio Rutilio verò ad Consularem honorem Romæ pervenit. *d. l. §. 39. & 40.*

§. 10. Diximus §. præcedente Jctis vel Doctoribus & Advocatis per istum Honoris gradum Nobilium aliaq; multa accrescere privilegia. Nùm verò hæc privilegia se extendant ad Doctores istos, ut vocant Bullatos; hîc quæstio venit movenda? Affirmando nos respondendum putamus, scil. quando examen præcedit, & à Comite Palatino instituitur, quod præsupponunt Diplomata Imperatoria, quæ Comitibus Palatinis facultatem creandi Doctores largiuntur, & quæ quandoq; præcisè urgent præsentiam duorum vel trium Doctorum, qui Candidatum examini subjiciant, uti Ejusmodi Diplomate in medium adducto confirmat *Oldenburg: in Limneo Enucl. Lib. 4. c. 70. n. 50.* Dignis namq; honores veniunt tribuendi, præprimis cum secundum *Rebuff. de privil. schol. priv. 86.* hodierno die in Academicis Promotionibus examen pro formâ habeatur. Forma autem dat esse rei: Ergò non est dubitandum, quin & Bullati, si examen subierint, privilegi-
orum

orum istorum sint capaces; ubi Econtra non adhibitis solennitatibus à consuetudine firmatis, legitimè haud creati, atq; ob id Doctorum legitimè promotorum privilegiis nec uti, nec frui possunt.

§. II. V. *Medici.* De horum conditione, statu & qualitate multa dicere instituti nostri non est, nec brevitatis, cui studere incepimus, permittit. Remittimus verò benevolum Lectorem ad *l. Thais ancilla. 41. §. Lucius. 6. ff. de fidei commiss. libert. l. alimenta 16. §. libertis. 1. ff. de alimentis & cib. leg. l. Sejo 10. ff. de ann. leg. l. quâ actione 7. §. ult. l. idem Juris 8. ff. de instruct. vel instrum. leg.* Sufficiat hîc scire, quod Medici sint, qui salutis hominum curam agunt. *l. 1. §. Medicorum. ff. de extraord. cogn.* Ergo necessariò benè merentur de republ. Quid enim pretiosius Sanitate hominis, ut Syracides & Ecclesiastes, inveniunt, quæ Medicâ Arte sustentatur & reparatur, quæ singulare donum Dei. item: Honora Medicum, Creavit ipsum altissimus. Inter alia beneficia verò est illud, quod nimirum immunes isti sint à Curâ & tutelâ, *l. si duas. 6. §. Grammatici 1. ff. de excusat.* quanquam de Periodentis hoc saltem est intelligendum, non verò de sedentariis Medicis, & qui in umbrâ studia Medicinæ exercent. *d. l. & ibi gloss. & l. 42. §. 9. in fin. C. de Episc. & cl.*

§. 12. Reliquos literatos & studiosos, quibus ob reverentiam studiorum quam plurima præmia & beneficia sunt concessa, lubens brevitatis ergo prætereò. Tantus enim studiorum est labor, inveniunt Imperatores ipsi in *l. studiorum 1. C. de assess.* ut multa mereantur; amittunt enim sibi charissimos, nempe parentes, propinquos, familiares, imò dulcissimam patriam, licet hoc sit durissimum. *l. possessionum 11 C. comm. utr. Jud.* id quod probè & clementissimè pensitaverunt Serenissimi Saxonici Legislatores, dum studiosis, præprimis egenis, stipendia constituerunt, uti patet ex Ord. Elect. wie es in beiden Universitäten / Leipzig und Wittenberg mit den Stipendiaten gehalten werden solle / cap. 1. §. und wir aber verb: stipendia. verordnet damit die Knaben / so in denen dreien Fürsten Schulen ieder 6. Jahr lang erhalten ihre studia zu nuzze der Kirchen völsühren mögen. Insuper ejusmodi stipendiati mensâ Electorali Communi

ni

ni fruuntur gratis. d. Ord. c. 8. §. 2. in Verb: Sollen alle unse-
re Stipendiaten in der Collegiis den mensam communem gra-
tis haben / auch durch die Verordnete der Universität die fleis-
sige vorsehung geschehen / damit in der Speisung die Notturff
gegeben werde. Et porro laudatissimo consilio sancitum est, il-
lis, qui egregios in studiis fecerunt progressus, attribui alia
præmia, eosdemq; certis honorum gradibus exornari, quod
nimirum in testimonium præmii studiorum ad publicas pro-
motiones seu gradus Doctoratus admittantur Churfl. S.
Ordn: bey der Universitäten Tit: von den Promotionibus in
den dreien Facultäten.

§. 13. VI. Subsubjecto recipiente comprehenduntur
etiam Milites, quia & isti quàm optimè merentur de bono pu-
blico. Ut enim Literati Legibus remp. bene stabiliunt; ita quo-
que Milites armis & fortitudine patriam defendunt, & ho-
stium illicitos ausus reprimunt. Nam ad Remp. benè constitu-
endam & conservandam tam Leges, quàm arma requiruntur.
Hinc Justinianus Imperator vinculum Legum & armorum in-
dissolubile eleganti Verborum Metathesi demonstrare voluit,
in proæmio Instit: cum ait: Imperatoriam Majestatem non
solùm armis decoratam; sed etiam Legibus oportet esse arma-
tam, ut utrumq; tempus & bellorum & pacis rectè possit gu-
bernari. Ut autem propius ad subjecti hujus considerationem
nos conferamus, operæ erit pretium, ut prius inspiciamus,
quòtupliciter vox Militis sumatur?

§. 14. Sumitur verò *Latè* vel *strictè*. Illo modo
continet omnes, non solùm illos, qui arma contra hostes
gerunt, sed etiam quicumq; in Exercitu versantur, ut sunt
Mercatores, Lanii Victuales, vulgò *Marcketaner* / *Scrini-*
arii &c: *l. Scriniarios. 16. C. de testam. milit.* Hoc verò modo,
strictè nempe sumtum Vocabulum continet tantùm illos, qui
sunt in expeditione militari & circa illam occupati: *l. ne qui-*
dem 17. C. de testam. mil. Atq; hi sunt propriè, qui jure milita-
ri testari possunt, ut patet *ex pr. Inst. de mil. testam. l. scrini-*
arios 16. C. de test. mil. usq; ad eò, ut etiam à tali privilegio Li-
mitanei, item stationarii, *Gail. Lib. 2. obs. 128. n. 13.* ut & mer-
catores

catores vel Lanii Victuales sint remoti. D. Sinfelthaus obs:
46. Treutl. vol. 2. disp. 10. th. 6. lit. b. Plura beneficia militum
sunt in l. sancimus. 8. C. de restit. milit. l. cum antiquis Legibus
37. C. de inoff. test: l. privilegio, 27. C. de Decur. & t. t. ff. de test.
mil. l. 8. ff. de Excusat.

§. 15. Præ cæteris verò hoc est præmium maximum, ut
Militari Virtute dignus Nobilitate quis efficiatur, si fortiter se
gesserit & animam pro patriâ offerre non veretur, quam digni-
tatem nobilem & sæpè numero summam, multi multis abhinc
retrò seculis, & quidem plurimi vili stirpe orti hoc modo ac-
quisiverunt. Exemplo est Artaxerxes, qui humili & vili genere
progenitus in Persiâ Artabanum, Regum Parthorum, tribus
præliis fudit, & illorum populorum Regno potitus est. Ut ta-
ceam Titum Vespasianum, Justinum, Impp: aliosq; quamplu-
rimos, qui ex abjectis familiis ad summum & Imperatorium
honoris culmen Arte bellicâ pervenerunt, ut refert *Tiraquel:*
de Nobil. quippe hîc

Non census, nec clarum Nomen avorum,

Sed probitas magnos ingeniumq; facit.

Non hîc attendendum genus, nam

Quid genus est? nihil est, Nomen Virtute paratur

Et virtus nostros nobilitavit avos.

nec ignavis, sed certantibus præmia hæc danda, siquidem

Certandum est, nulli veniunt sine Marte triumphi,

Et nisi certanti nulla corona datur.

item: *Otium clari fugiunt honores*

Nobiles ducit labor ad triumphos

Sudor insignes iter ad coronas

monstrat apertum

Mantuan. L. 2. sylvar. Et quidni milites digni sint,
qui fruantur tali præmio? Hostibus namq; resistunt, ab incur-
sionibus vindicant agros, atq; Civitates à Latronum, alioq;
modo incompositam vitam sectantium vi & eruptionibus
agendis excubiis defendunt, *Nov. 149.* & quorum pietas in pa-
triam studiosa est, & mors pro illius salute offertur.

§. 16. Circa materiam hanc, & tempus, quo Bellona,
proh

proh dolor! jam undiq; furit, occurrit hæc quæstio: Si Dux exercitus obsidens urbem ei, qui primus moenia adscenderit, certum præmium promiserit, & duo simul moenia conscenderint, quid singulis debeatur? Et quidam dimidiam cuique debere statuunt *arg. l. si quis Titio. 17. in fin. de Leg. 2. & l. cum quidam 24. eod.* Alii verò utrumq; excludunt per *b. l.* Alii statuunt gratificationi esse locum, cui dux præmium dare velit. *l. fin. ff. de relig. & l. navem 32. ff. locati.* Alii singulis totum præmium assignant, quæ opinio placuit Scipioni Africano, expugnatâ Carthagine, teste Livio & Plutarcho. Sed Cujacius & Vasq. respondent, Exempla illa ad consequentiam & Juris necessitatem non esse trahenda, dum potius ex gratiâ Imperatoris, quàm Juris necessitate emanarint.

§. 17. VII. Sunt & alii, qui reip. benefaciunt, nempe Mercatores. Antequam verò his præmia tribuamus, quarendum est, Num illi digni sint præmiis? Nos cum Marquardo *de Jure Mercat. Lib. 1. c. 4. n. 4.* affirmando respondemus, ex hæc ratione, quia variæ molestiæ & pericula infinita propter bonum publicum, quod est negotiatio, ipsis sunt subeunda; ne dicam de salebris & asperitate regionum, sumtuum magnitudine, incommoditate viarum &c. de quibus Horatius:

Impiger extremos currit Mercator ad Indos.

Per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes:
sic, ut animam committant Ventis, dolato confisi ligno, vix sint

*Digitis à morte remoti
quatuor aut septem.*

Et hæc est ratio, quæ incitavit Principes, ut Mercatores magnis privilegiis & immunitatibus ornarent. Quod Callistratus Jctus elegantibus innuit Verbis in *l. 5. §. 3. ff. de jur. immun.* Negotiatores, inquit, qui annonam urbis adjuvant, immunitatem à muneribus publicis consequantur, quamdiu in ejusmodi actu sunt; nam remuneranda pericula eorum, quin etiâ ad hortanda præmiis meritò placuit, ut qui peregrè muneribus cum periculo & labore funguntur, à domesticis Vexationibus & sumtibus liberentur

cum non sit alienum dicere & hos reip. causâ, dum annonæ urbis serviunt, abesse. His adde *l. 9 §. 1. ff. de Decur. l. 1. C. de Decur. Et Bodin. L. 3. de republ. c. 8.* ait, Mercatorum Ordinem in benè constitutâ rep. statim post togatorum Doctorum collocari.

§. 18. VIII Nec posthabendi sunt *Agricola & opifices*, sed remunerationibus afficiendi, quia de rerum sufficientiâ in rep. necessaria prospiciunt. Non inconsideratè primo loco ponimus Agriculturam & primas illam tenere affirmamus. Illa enim aliarum Artium omnium parens atq; nutrix dicitur, quâ benè se habente, cætera valent omnia: Neglectâ eâ, cuncta terrâ mariq; jacent. Hinc multa agricolis & rusticis concessa sunt privilegia & beneficia, *l. pignorum. 8. §. 1. auth. agricultores. C. quæ res pign. obl. poss. l. 1. C. ne rust. ad ull. obs. §. 1. 3. C. de fer. vi* cuius agrorum culturæ die solis liberè licenterq; inservire possunt, nempe si alio die cælesti provisione commoditas ad officia sua rustica peragenda haud conceditur, quod verò omnibus aliis, urbanis, & artificibus prohibitum, *h. l.*

§. 19. De privilegiis opificum & artificum (: qui in varios usus humanos materiam rudem efformant & elaborant, & qui omnis generis instrumenta ad vitam conferunt, adeoq; ut rem ipsam interdum ars superare videatur, sine quibus resp. florere nequit:) *vid: l. semper §. 5. §. quibusdam. 12 ff. de Jur. immun. l. 1. C. de excusat. artif.*

§. 20. IX. De *Alienigenis & Exteris* pro clausulâ hujus Membri pauca sunt notanda, quod videlicet nec istis præmia deneganda. Nulla enim respubl. sibi sufficiens esse potest, sed vicinorum aut exterorum auxilio opus habet, quod pluribus, si prolixi esse vellemus, posset probari Exemplis. Unicum ex Jure nostro lubet adferre ex *l. 1. ff. de censib.* Sciendum est, *inquit Ulpianus*, esse quasdam Colonias Juris Italici, ut est in Syriâ Phœnice, splendidissima Tyriorum colonia, unde mihi origo est, nobilis regionibus serie seculorum antiquissima, armipotens, foederis, quod cum Romanis percussit, tenacissima. Huic enim Divus Severus & Imperator noster ob egregiam in rep. imperiumq; Rom. insignem fidem Jus Italicum dedit.

dit. Et §. 3. Est & Laodicensis Colonia in Syria Coele, cui Divus Severus Jus Italicum ob belli civilis merita concessit. Et Tantum de Subjecto recipiente.

MEMBRUM V.

De Forma & Modo.

§. 1. Forma desumi potest ex definitione nostrâ Suprà *Membr. 1.* quod nimirum sint tribuenda præmia moderamine Justitiæ & prudentiæ, quæ omnium Virtutum moderatrix. Modus in distributione præmiorum benè est attendendus, & providendum, ut unusquisque secundum labores suos ad meliores & majores dignitates perducatur. *l. 1. C. de off. præf. præt. Afr.* Præprimis verò sunt prudenter pensandæ circumstantiæ loci, temporis, personæ, causæ meriti, quantitatis, qualitatis, quod potius situm esse videtur in prudentiâ, quàm ut certâ Regulâ definiri possit. ideoque de Formâ & modo prolixius agere supersedeo.

MEMBRUM VI.

De Fine & effectu præmiorum

§. 1. Finis horum quis sit, ex hactenus tractatis facile haberi potest, nempe, ut Virtutis Studium iisdem excitetur, boni Cives efficiantur, siquidem

Oderunt peccare boni Virtutis amore,

& Resp: contineatur & benè conservetur. Neglectâ enim præmiorum Justitiâ, de Virtute & incolumitate Reip. actum erit. Vel, ut ut *Bodinus ait*: Honoris & gratiæ Majestatis, quæ præmii loco exhibentur, de Rep. sublatâ, cives in omne dedecus & flagitiorum foeditatem prorumpunt, tandemque remp. labascere & interire necesse est.

MEMBRUM VII.

De amissione præmiorum.

§. 1. Superest, visis pro ratione instituti nostri omnibus causis, ultima consideratio, quomodo nimirum præmia amittantur & destruantur. Quemadmodum enim cunctæ res humanæ nihil stabile possident, sed ad summum perductæ rursus ad infimum relabuntur & omnium rerum talis vicissitudo

tudo est, ut nascantur & denascantur, auferantur & vilescunt vicissim; ita etiam comparatum est cum præmiis & privilegiis, ut amitti & dissolvi possint. *arg. l. 35. ff. de R. 7. & quæ Jure contractæ sunt, contrario jure pereant. l. 100. ff. eod.* Causæ verò amissionis seu finitionis hinc ante omnia sunt inspiciendæ, quæ resident *vel in subiecto concedente, vel in subiecto Recipiente.*

§. 2. In illo est *Revocatio & Mors.* Quod *revocationem* concernit, perpendendum, ex quâ causâ præmia sint concessa, *an ex merito, an ex titulo oneroso an gratuito & ex merâ gratiâ, sive precariâ concessione.* Si *ex merito* & ob remunerati-
onem data, extra omnem est controversiam, à concedente re-
vocari haud posse, quia Causa benemeritorum contractui par
est, Et privilegium vel beneficium ob benè merita concessum
transit in cōtractū. *Bald. in l. qui, sepatriis 3. C. unde liberi. Mar-
quard. de Jure. Mercat. Lib. 1. c. 6. n. 26. Carpz. Decis. 87. n. 4. s. seqq.*
Non enim pendet ex solâ autoritate concedentis, sed ex Jure
alteri quæsito, quod nec Princeps auferre potest, *l. 2. C. de precib.
Imp. offer.* Et concessiones ob remunerationem factæ sunt
quædam compensationes seu permutationes, ut non gratuito,
sed oneroso titulo factæ censeantur. *l. sed etsi 25. §. consuluit. 11.
ff. de petit hered.* Hinc sicuti contractus, ita privilegium ob
benemeritum concessum putatur esse reale & ad heredes transi-
torium. *Menoch præsumt. 103. n. 13. seqq. vid. etiam l. Attilius. 27. ff.
de donat. & alios. quos allegat laudatus Marquard. d. l. quibus
jungatur Rein King. de reg. sec. & Eccles. L. 2. class. 2. n. 2. seqq.* I-
dem dicendum de præmiis *ex titulo oneroso* concessis, quæ in
contractum (: qui habet præstationis necessitatem etiam in
personâ summi Principis:) transivère. Ea verò, quæ *ex merâ
gratiâ sive precariâ concessione*, aufß Gnaden/ conceduntur &
quæ ex titulo lucrativo, revocari posse communis sententia est
Rein King. d. l. Carpz. Decis. 87. n. 16. quanquam majestate princi-
pis dignius beneficium ex liberalitate concessum sine Causa
non revocare, idem asserat.

§. 3. Altera amissionis causa in subiecto concedente
est *Mors.* Morte concedentis Concessiones beneficiorum tolli
atq; evanescere ex *l. 4. ff. locat. cond. l. 9. ff. qui sine manumisi. & c.
si gratiose.*

si gratiose. de rescriptis in 6. probari quidem posset, quia tunc Velle desit: At contrarium tenent plures ex hac firmâ ratione, quod nihil tam naturali æquitati conveniat, quàm ut, quæ semel placuerunt, serventur & custodiantur. *l. 1. de pact.* adeo, ut ejus Successores in Regno contravenire illi nullo modo possint, quia Juris est evidentis, quod generaliter successor factum ejus, cui succedit, eiq; contravenire concessum non sit. *l. filiusfam. 114. § cum pater. 15 ff. de Leg. 1.* Successor namq; & heres repræsentant personam defuncti. Ex quibus liquidò apparet, morte concedentis non perire, nisi aliqua supervenerit revocandi causa. *Gail. Lib. 2. obs. 60. n. 6.*

§. 4. Nunc sequuntur causæ in *Subjeto Recipiente*, dissolventes præmia, quarum potissimum sunt duæ: *Factum & Mors.* Illud à Dd. duplex constituitur: aliud *desidiosum*, seu *omissionis*; aliud *improbum*, seu *commissionis*. *Factum desidiosum* est, quod quasi ex ignaviâ ortum in non utendo versatur. Et hoc facto, vel non usu, amittitur præmium, seu beneficium privato (: non universitati :) concessum, & quidem decennio. *Gail. 2. obs. 60. n. 1. Schneidw. in §. possidere 5. Inst. de interd. n. 167.* Hoc autem decennium non à tempore, quo primum concessum est privilegiū, sed solum à die, quo evenit casus utendi privilegio, cursū incipit. *Menoch. Consil. 913. p. 25.* quod limitatur, si ob casum non eventum factum sit, quò minus uteretur. *Gail. loco cit. Menoch. Consil. 419. n. 28.* etiam si eò ultra memoriam non sit usus. *Carpz. p. 2. Const. 3. def. 23.* Decennium autem jam dictum, quo per non usum amittantur beneficia, intelligendum est de J. C. secus de Jure Sax: ubi triginta annorum, anni & diei spatio non utendo amittuntur. *Carpz. d. l.* Notandum hic, quod privilegia titulo oneroso concessa, quæ in contractum transivere, non utendo non amittantur. *Marquard. de Jur. mercat. L. 4. c. 2. n. 11.*

§. 5. *Facto improbo vel abusu* quoq; amittuntur beneficia & præmia, id quod vel in committendo crimen aliquod vel juris & officii Exercitio malè utendo consistit, cum indigni sint Legis beneficio, qui in legem committunt. *l. auxilium 37. § l. si ex causa. 9. ff. de minor.* Exemplum habemus in Ottonne Brugmanno, Legato Holsat: ad Persas, qui cum contra leges sapius commisisset & multa insolenter esset molitus, secreta

creta incogitanter revelans, Mandata Principis temerè transli-
endo, redux fructu πολυπραγμοσύνης & abusûs privilegiorû si-
bi tanquam Legato concessorû nempe Decollationem, reporta-
vit Anno 1640. vid: Olearii *Persianische Reisebeschreibung Lib.*
6. cap. ult. Plura lubens prætereo. Atq; sic verum est, quæmli-
bet esse suæ fortunæ fabricam, ide oq; gratiâ & privilegiis haud
abutendum, siquidem omnium rerum est vicissitudo, & fatum
potentiæ rarò sempiternum. *Tacit. Lib. 3.* & nescimus quid
serus vehat vesper.

§. 6. Altera causa, quâ amittuntur præmia respectu sub-
jecti recipientis est *Mors*, quâ regulariter omnia extingvuntur
quæq; omnia solvit. *Nov. 22. c. 20.* & mutatione personæ privi-
legia quoq; personalia mutantur & intereunt. *l. 90. per procu-
ratorem ff. de acquir. hered.* Persona enim vel Subjectum reci-
piens est causa proxima, quâ extinctâ extingvitur etiam bene-
ficio. *l. 196. ff. de R. J.* & ibi *Dd.* Quod si verò Universitati &
Collegio cuidam concessa beneficia, secus tunc obtinet, cum
sint realia, & cum personâ, puta Collegio seu corpore perpe-
tuo non intereunt. *l. pen. ff. de Jur. immun. l. 3. §. 1. ff. de censib.*
adeò ut mortuis omnib; de universitate, ejusdem tamen privi-
legia non censeantur extincta.

§. 7. Et hoc de morte naturali. Num verò idem de morte
Civili dicendum, quæritur? Et respondetur, quod sic, quia per
eam quis è numero civiû tollitur, libertas adimitur & ab omni
communione extorris habetur, quod olim accidit deportatis &
aqvâ & igni interdictis *Mynsing. 2. obs. 8. & 57.* Illi enim mortu-
orum loco habentur *t. t. Inst. & ff. de. cap. min. l. 64. §. ult. pro
soc. Treutl. vol. 1. disp. 9. th. 2. lit. c.* secus verò de Excommunica-
tis. Respondent enim *Dd.* poenam privationis Ecclesiasticæ
communions fidelium omnimodam Exterminationem poli-
ticam non operari, quia Dominio rerum non exiit. *Gloss fin.
in cap. pastoralis § 3. de appell.* nec contractus cum illis celebra-
tos annihilari, *c. felicitis. §. S. verum de poen. in. 6.* Atq; hæc pro
modulo ingenii proq; temporis ratione dicta sufficiant. Te Le-
ctor benevole, omnia ut æqui boniq; consulas & jugiter fave-
as, enixissimè rogo. DEUS Trinunus, cum quo initium fecim; &
& cui propræstito auxilio decentes persolvim; gratias, sit eti-
am nostræ hujus dissertationis

FINIS.

ULB Halle

3


001 522 310




TA 50L

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

1570

XXXVI.
No 215,
1678

Auspice Trinuno!
DISSERTATIO JURIDICA

De
PRÆMIIS,

Quam
CONSENSU MAGNIFICI JCTORUM WITTEBERGEN-
SIUM COLLEGII
SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI & EXCELLENTISSIMI

**DN. WILHELMI
LEISERI,**

Jcti & Antecessoris in hac Academia famigeratissimi, Curia Ele-
ctoris, Scabinatus & Facultatis Juridicae Assessoris
Gravissimi

*Domini Patroni sui etatem venerando,
publico Examine subicit*

NICOLAUS SCHWECHTENIUS,
Görz. Sax.

Ad diem 13. Febr. An. 1678.

IN ACROATERIO JCTORUM.



WITTEBERGÆ,
Literis JOHANNIS WILCKII.

